

1446 qui se in Padana insula non procul a Casali oppido cum omnibus copiis tenebat. Post itaque atrocissimum certamen, a prima luce ad altum diem distractum, castris exuit, ac quatuor equitum millia fugienti ademit. Nec Veneto victoria gratuita fuit; sed plerique viri fortes media pugna occubuerunt, quorum partem non parvam constat aquarum vorticibus absorptam. Capti ex hostibus plerique viri fortes. Venisset & Picininus quoque in victorum potestatem, nisi ubi fortunam inclinare vidit, in fluviatilem cymbam transgressus ex acie fugisset. Alii eum ponte in ulteriore Padi ripam abiisse tradunt. Post tam inclytam victoriam Venetus dux, receptis quæ in Cremonensi agro hostis occuparat, auctusque Lodovici Gonzagæ armis, in Abduanam terram castra transtulit. Hic ita prospere res Veneta gesta est, ut paucis diebus nihil Attendulus citra Abduanum Philippo, præter Cremam & Laudem, reliquum fecerit. Inde copiæ fluvio traductæ, in cujus ripa iterum pugnatum tradunt, captosque ex hostibus ad sexcentos equites, & cum his duo agrestium millia, ganzariolas duas, totidemque galeones, qui ad pontem quo Venetus amnem circa paludes junxerat, solvendum fuerant ab Alolvio Severinate missi. Petrus Advocarus, Jacobus Antonius Marcellus, & Antonius Martinengius ob rem eo die bene gestam, quia præ cæteris fœliciter in hostem dimicabant, equestribus sunt ornamentis donati. Sforcia interim, Venetis Gallico bello implicitis, quasi plus non posset, Eugenioque & Alphonso ad id hortantibus, qui iniquo animo ferebant, Venetorum potentiam fœlicissimo victoriæ cursu in Gallia augeri, Picœni cura omessa, ad Philippum aperte transiit. Sed Veneti illius artem jam antea resciverant, atque ubi res primum ad Patres delata est, Angelum Simonetam, qui tum Venetiis erat, in custodia habendum censuerunt, stipendiumque Sforciæ ademptum cum ædibus quas a Principe & Senatu dono acceperat; ademptum & Sforcianis omnibus omne publicum beneficium, quæ ita & multa & ampla fuisse constat, ut nullo modo abhorrente a fide videatur illud, quod in Venetis annalibus

repe-

Sforcia o-
mne benefi-
cium publi-
cum a Vene-
tis adimi-
tur.